



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Præfatio,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

TRACTATUS OCTAVVS.

DE GRATIA.

PRÆFATIO.

EXPLICATIS Pelagianorum & Semipelagianorum erroribus, unde facile colligi possit, inter recentiores Theologos qui propius ad veritatem accesserint, vel ab ea longius absint; superest ut de Divina Gratia, cujus jam supra commendationem dedi, Tractationem instituam: cui sane narrantur opera eò me libentius accingo, quòd non alia minor rependenda merces promissa sit, quàm eterna vitæ consecutio: Qui elucidant me vitam æternam habebunt, quo quidem premio, ut cum Bernardo loquar, ego fraudari nolim: Et si etiam præter amplissimam mercedem, quam demum pollicetur, id nobilitate sua, & beneficiis, quæ etiamnum confert, mereatur, ut in explicationem & laudem ingenia omnia vires suas intendant, nullique labori parcant. Nam ut præter cetera quæ superiori Præfatione præmissa sunt, quæ hîc obvia occurrunt, & pene ultro sese ingerunt, subjungam: Quid existimas (Amice Lector) gratiam esse; si præclarissimis Encomiis, & amplissimis titulis veluti totidem definitionibus, non tam naturam, quàm nobilitatem explicare me sinas? si Augustinum consulo, interioris hominis pulchritudo est, & humanæ mentis candor: si Ambrosium, Dei pictura, & apud Irenæum Dei imago, quæ simillima divinitatis lineamenta refert: si Macarium, vestis cœlestis pulchritudinis, quæ scditatem peccati & tegit & tergit, & quæ justî homines ita adornantur, ut ne Cœlites divinis oculis elegantiores sint: si Augustinum, inscriptio Dei, impressa homini, quæ ipsum Deo vendicat, & tanquam servum suo charactere notum, & ut vocabant veteres, literatum, divinis obsequiis mancipat: si Isidorum, lac maternum, quo illud Propheta vaticinium impleri possit, mammillâ Regum lactaberis: Denum si D. Joannem, fons aquæ salientis in vitam æternam, & quæ eò redit unde primò manavit, ne illud divine gratiæ desit, quod elementaris aquæ genium esse dicunt, ut quantum descendit, tantum ascendat, suumque principium vel altitudinem reperat. Hæc habet Divina Gratia, his titulis ornatur, hæc beneficia mortalibus & cœlestibus confert, ut non minus in Angelos quàm homines beneficam vim exerat, sed ubique imperet, & omnium linguis & Angelorum & hominum celebranda sit. Ceterum hoc habet Divina Gratia, quod ingentes res, quæ suâ magnitudine humilia ingenia procul arcent, & quibus velut obicem quo eas muniret, difficultatem natura objecit. Verùm me nulla difficultas terret (Amice Lector) nullus ut spero obex morabitur. Id enim eximium est schola Thomistica; præter Angelicum Præceptorem, quem ubique ducem sequitur, hîc semper Augustinus præit, qui toti Ecclesiæ & Antesignanus & miles olim præiit, & quo duce pugnavit, & vicit. Hi duo Gratia Divinæ fidißimi Interpretes, hi duæ Spiritus sancti lyra, heresum mallei, & Ecclesiæ montes, qui primos Divinæ Gratia radios exceperunt, ut undique spargerent. Nam quod ad Augustinum pertinet, notissimum est, collatis suffragiis, Innocentium, Zozimum, Cælestinum, Leonem, Hormisdam, hujus de gratia doctrinam consecrassè; & de D. Thoma Ecclesiæ canit:

Collaudetur Christus Rex gloriæ,
Qui per Thomam, lumen Ecclesiæ,
Mundum replet DOCTRINA GRATIÆ.

Tomus IV.

D ij